

ASCANII TORRII THEOLOGI

R O M A N I
B. E. V. A. V. C. I.

Pro

LIBERTATE ECCLESIASTICA

A D G A L L O F R A N C V M

A P O L O G I A.



R O M AE,

Apud Bartholomeum Zannettum. M.D.CVII.

SUPERIORVM PERMISSV.

ASCANIUS TORRIVS GALLOFRANCO.



A M E T S I tiam , Gallofrance ,
in Venetorum causa diligentiam
singulari cum eruditione con-
iunctam , quod Ecclesiasticam li-
bertatem oppugnet , probare om-
nino non possum , hactenus ta-
men laudo , quod non , ut pleri-
que alij , pristinæ , atque auitæ religionis decreta , ne-
que catholicorum dogmatum ipsa propemodum fun-
damenta compellis , & modestam defensionem , cum
pia , & salutari adhortatione coniungis . Facis tu qui-
dem , quod amicos , & (vt ipse loqueris) fœderatos
defendis , beneuole , quod disputationem tuam , non
vulgari scientia , doctrinaq. confirmas , sapienter , quod
ea , quæ dicis ornata , & perpolita oratione explicas ,
diserte , quod neminem aculeato , nedum contume-
lioso dicendi genere perstringis , modeste . Quibus
ego rebus , cum mirifice sum delectatus , tum incredi-
biliter dolui , te eius caussæ patrocinium suscepisse ,
quam Ecclesiastico iudicio , olim saepius damnatam ,
& nuper , à S.D.N. Paulo V. dira execratione iugula-
tam , nemo catholicus , saluo iure , non dicam tueri ,
sed non magnopere improbare potest . Itaque statui ,
meam tibi hac de re sententiam paucis , amiceq. in-
dicare , vnaq. ad ea , quæ tu aduersus Pontificiam cen-